



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Pharailde Virgine, In Brabantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

a *Brow. prole.*
b *Bro. Fovit*
amorem patris
ms. *Rip. fovet*
a. p.
c *Brow. pie.*
quod deest in
omnibus meis
MSS.
NOT. 69.

Nobilis antiqua decurrens a laude parentum,
Nobilior gestis nunc super astra manet.
Arbiter ante ferox, dehinc pius ipse Sacerdos :
Quos domuit Iudex, b patris amore fovet.
Triginta et geminos c. rexit ovile per annos :
Et grege de Christi gaudia pastor habet.

Si quæras meritum, produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica salus.
Acta sunt hæc pridie Nonarum Januariarum, adjuvante Domino nostro Jesu Christo : cui est cum Deo Patre et Spiritu paraclito omnis honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE S. PHARAILDE VIRGINE, IN BRABANTIA,

VITA

PROLOGUS AUCTORIS.

Math. 5. 15.

Quoniam veridica invitatur intelligere sententia, lucernam ardentem sub modio parum fulgoris inferre circumstantibus; divina itaque admonitione communiti, beate virginis Pharaildis opuscula ferme adhuc omnino latitantia, auribus ignorantium enucleare decrevimus : quatenus audientium corda torpentia nostro contacta eloquio, divini amoris exardescant incendio. Verum quia proluxa verborum series tam auditoribus, quam lectoribus plerumque generat fastidia; idoneum disposuimus succincte protelare, quæ mentibus intelligentium intimare proposuimus : quia compendiosa oratio torpentis animi fit exhortatio.

2 Si quis detractor Deo dignæ Virginis miracula computaverit pro fabula, quam plerumque lingua finigit garrula; illi profecto pateat, non de apocrypha vel fabulosa conscribi materia, quod tam antiquorum Patrum authentico comprobatur testimonio, quam quorundam librorum vetustate præditorum reperitur serie. Quidquid enim humano generi videtur impossibile, id divina impendente gratia pro Sanctorum meritis efficitur possibile; quia scriptum est in Evangelio :
Si quis habuerit fidem ut granum sinapis, et dixerit huic monti, Transi hinc et transibit. Quare nec mirum videbitur, vel pro fide Christianorum aggeranda, vel pro incredulitate infidelium extirpanda : quod si natura non patitur, id Sanctorum meritis attribuitur.

Auctor non incerta narrat.

Math. 17. 19.

CAPUT I.

S. Pharaildis genus, sancta adolescentia.

In hujus igitur primordio dictaminis, ut pateat cunctis propago Virginis, ejus ponendum est exordium originis. Notata namque regali progenie, unde virgo profertur descendere, nulli mirum videbitur, si contempto tam regali quam Imperiali conjugio, de infimis ad alta post finem hæc ascenderit, quæ de altis ad infima ante finem descenderit. Regi quippe Theodorico, intra fines Lotharingiæ, et Galliæ tam remote, quam admotæ, imperanti patriæ, natorum geminam fuisse sobolem antiquorum auctoritate corroborante cognovimus : quos tam viribus quam opibus, omnique divitiarum genere, Consularique potentia fore præditos, eorumdem Patrum non revellenda comprobavit antiquitas. Eidem vero femineæ sortis tertiam, Pharaildem nomine, magis fidei et religionis meritis, quam sæculari prærogativa nobis cognitam, non repudianda Patrum asseruit auctoritas.

4 Quæ continuata meritum et operum serie, regali postposita, qua orta fuerat, progenie, Procerumque tam regalium quam Imperialium contempta copia, jussum complevit Evangelicum, ubi dicitur : Nisi quis abrenuntiaverit patri, vel matri, et omnibus quæ possidet propter nomen meum, non potest meus esse discipulus. Hoc itaque præceptum sub ædicula reprensens pectoris, dum adhuc maternis inesset thalamis, eleganter suo providens proposito, intemeratam exercendo virginitatem, pro puellaris animi capacitate litterarum successit studiis. Verum licet in proposito tenacitate perseverans, obnixio mentis affectu litterarum conaretur adipisci scientiam, menti tamen divina inhærebat

Consilia Evangelica amplecti statuit.

Luc. 14. 26 et 33.

Litterarum studiis dat operam.

IV JAN. Pharaildis Virginis natalem xv Januarii referunt Martyrologium Belgicum, Usuardi editio Colonien. ann. 1490 et 1521. Molanus in addit. ad eundem Usuardum, Martyrologium German. Ghinius, Galesinius, Ferrarius, aliæque præsertim manu exarata Martyrologia. At Bellini editio Parisiensis anni 1536, v Januarii ejus meminit ac Farailidem vocat, alii Pharildem. ms Florarium xiii Junii natalem, xv Januarii elevationem habet : vii vero Octobris (uti et Molanus aliique) Translationem. Sed cum plures factæ sint ejus reliquiarum translationes, quæ potissimum eo die celebratur, mihi compertum non est.

Quomodo virgo invito viro dicatur permansisse.

2 Vitam S. Pharaildis exhibuit nobis ms. codex monasterii S. Adriani Gerardimonte, Flandriæ oppido : in qua tamen cupiam fortassis scrupulum injiciat, quod illa Guidoni viro in iis, quæ jure naturæ ac divino jubentur, morem gerere noluisse videatur. Verum illa in matrimonium forte non consenserat, a quo tamen reverentia metu resiliere non audebat; deinde non tam proccacia muliebri, quam vi quadam divina eum a se arcebat : et consenserat ipse forsitan Guido ab initio ut continentiam virginalem custodiret : a quo eum proposito si quando animi perversitas revocabat, poterat illa merito repugnare.

3 Huic vite subjungemus quæ de ea scribit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, ac deinde miraculum in Stegnockerzeel pago, non procul Vilvordia Brabantia oppido, patrum, ex ejus ecclesiæ monumentis descriptum ab Hieronymo Franchæo ejus loci Pastore, atque a Gommario Zuënio nostro ad Heribertum Rosweydam huc missum anno MDCIX. Est isthic sacellum quoddam sejunctum a templo, extractum olim in honorem S. Pharaildis, in quo solebat illa suum habere oratorium. Ibidem duo ex panibus illis per impiam mulieris imprecationem in lapides conversis visuntur : solet olim ad id sacellum celebris institui peregrinatio, ac miracula ibidem multa patrari. Demum subjiciemus quæ de S. Pharaildis translationibus et ecclesia habet Antonius Sanderus Gandavi lib. 3, cap. 2, ex antiquis Bavoniani canonii monumentis.

Sacellum S. Pharaildis Stegnockerzeel, in Brabantia.

4 S. Pharaildis mentio fit in vita S. Gudilæ vii Januarii, et S. Emeberti sive Ableberti xv Januarii, ubi Sarachildis appellatur, fortassis errore Librarii. Ejus meminit et Aubertus Miræus v c. in fastis Belgicis, ubi testatur Canoniorum S. Pharaildis Collegium Gandavi, ex vetusta S. Pharaildis basilica, per Calvinianos vastata, in parociale S. Nicolai in foro sitam, nostra ætate esse translatum. Idem totidem verbis scribit Sanderus in Hagiologio Flandriæ. Reardificatum est tamen, ubi olim illa stetit basilica, sacellum honori S. Pharaildis dicatum.

Ecclesia S. Pharaildis Gandavi ab hæreticis eversa. Canonici alio translata.

5 Arnoldus Raissius in Hierogazophylacio Belgico, ubi de Spinosi-loci conventu, Ordinis Cisterciensis, prope Montes Hannoniæ, agit, ista habet : Clarent hic miraculis reliquiæ S. Pharaildis, eujus meritis locus iste (ut loquitur Nicolaus Guisius in suo Monte Hannoniæ metropoli cap. xi) non spinosus, sed pingui fecundus gleba; quæ sæculares non modo corporum, sed et cælestes animorum fructus profert, quorum messe numerosos peregrinorum concursus feliciter utitur. Hæc Raissius. Sanderus inter reliquias Bavonianas, quarum catalogus Alberto Austriaco Belgarum Principi piissimo exhibitus est, S. Pharaildis corpus recenset.

S. Pharaildis reliquiæ in Spinoso-loci.

Prov. 9. 10. inhærebat hortatio. Scriptum est enim : Initium sapientie timor Domini. Filiali namque non servili timore, Dei desudans servitio præceptum nitebatur implere Apostolicum. Dicit enim Apostolus : Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. His ergo et hujusmodi persuasionibus commota, infra annos adhuc teneros, et divino insudabat servitio, et litterarum inhærebat exercitio.

Vestium luxu non insolescit. § Et licet de more regali, utpote Regis filia, indumentis indueretur pretiosissimis et ornatis, cultuque regio quaque die poliretur, non tamen hæc in verborum arrogantiam, vel mentis insolentiam deferebat. Eleemosynarum vero opulentiam furtim palamve pauperibus subministrabat. Cum vero tam benigno laboraret in officio, licet rudis adhuc in Evangelio, verbum tamen complebat Evangelii. Dictum etenim : Cum facis eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Et iterum : Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro vobis. Hujusmodi et consimilibus exemplis corroborata, divina opitulante gratia, Dei servitium affectuosa exercebat efficacitate.

CAPUT II.

In conjugio servat virginitatem.

A variis in uxorem expectatur.

Tandem fama regalis filie, tam circumjacentium, quam remotarum regionum, Regum, et Imperatorum aures percudit. Qui serie et indolis et sobolis commoti multifaria causa querendæ filie Regis adierunt palatia. Cumque alii sigillatim privatimque; alii publice palamque, sua, quorum causa venerant, seprolassent negotia; Rex uni eorum, licet invitam se daturum spondidit filiam. Quam cum despondisset, eamque viro summæ progeniei tribuisset; illis abeuntibus qui eadem de causa venerant, Virgo hæc coacta, patris tamen facta vel dilatare vel violare non est ausa.

Guidoni despondetur invita

Virginitatem servat in conjugio.

7 Igitur ducta in matrimonium, virique nobilissimi adepta conjugium, quo prius intenta fuerat, Dei tamen non desiit servitium. Et propositam violare repudians virginitatem, mentis detinuit sobrietatem, et corporis reservavit integritatem. Nam conviviiis perpetratis, et nuptiis de more regali celebratis, cum jam finito diei spatio, nocteque imminente cum marito præcipiente, turba pedissequarum comitante, maritalem ingrederetur thalamum, femineo ritu non distulit thorum adire decorum : et licet maritali videretur gaudere concubitu, Dei tamen interveniente gratia, et libidinis incendia compescuit, et virilem amorem, si aliquis submente fuerat, prorsus edomuit. Viro namque thalamum subeunte, et libidinis incendium in ea exercere cupiente, Virgo devotione sedula hæc ad Deum profudit oracula :

Summe pater rerum, Rex, lux, et origo dierum,
Imperio cujus stat machina temporis hujus :
Cui fiunt grati, qui parent virginitati,
Ancillæ gratæ da fungi virginitate.

Virtute divina exinguitur in ea fomes libidinis, in viro reprimitur.

Cum vero aut hæc aut his similia ad Deum profudisset oracula, Dei dextera præsentente, ut in illa, sic in illo fervor extinctus est libidinis. Nec in nocte prominenti, nec in nocte sequenti, et, ut breviter dicam, nullo tempore vitæ suæ succedente, stimulo libidinis stimulari meruit. Sed cum vir more virili libidineum exercere vellet concubitu, prece intercedente virginea, licet ignea exagitante libidine, non tamen ea frui poterat in virgine.

30 annis singulis noctibus adit monasterium.

8 Ipsa vero nocte media, vel galli cantu, nulla eam detinente desidia, non etiam tintinnabulorum præstolata sonitum, vel nullo, vel paucis comitantibus adibat monasterium. Cumque fere per triginta annos tam laboriosum officium nullo subreptante vitio, in divino perseverando coalescebat incendio, humanæ insensens memorie, quod in Evangelica reperitur serie : Qui perseveraverit usque in fine, hic salvus erit. Et iterum : Arator respiciens retro non est dignus

Math. 24. v. 13.

Luc. 9. 62.

mercede. Non itaque torpore vel insolentia animum suppeditare patiens (viro licet nolente, et ab Ecclesiastico obsequio, in quantum poterat, persuasione diabolica eam retrahente) jugi tamen et infatigabili gressu frequentabat ecclesiam.

CAPUT III.

Maritus crudeliter eam verberans, morbo primam, dein morte punitur.

Frequenti igitur matutini itineris assiduitate, sagacem, imo fallacem vir illius incidens suspicionem, quotidiano immoderatoque eam puniebat verbere. Cumque eam tædiosissimis cecidisset verberibus, autumans quatenus sub quolibet indigena vel alienigena contumeliosum perpetrasset adulterium; illa nimirum intolerabili fatigata injuria, cum licet pati decrevisset, pati tamen nequivisset, flexis humi genibus prægravata fletibus, his est usa precibus :

Christe Dei fili, quæso, ne sim tibi vili.

Pro prece servili, moveare Dei pie fili :

Quæ prece devota tibi fundo, suscipe vota.

Hunc morbo vel peste grava, qui verbera prava

Dat mihi, meque ferit, feriens me perdere querit.

Nec id tamen votum erat imprecantis, sed ardor spiritualis gratiæ in ea flagrantis propter demulcendam tyrannicam mariti persecutionem, subministrabat viribus animi constantiam perseverantis.

10 Prædictam namque vel huic consimilem postquam ad Deum, non incassum, profuderat orationem, cum vir illius, vel venatum proficiscens, vel venatu rediens, prædam insequeretur ferinam, cupidine prædæ eum incitante, eoque celeriter properante, quadripede quoque præcipitante corruit. Verum in ipso casu divina ultione providente ossibus comminutis, nasi quoque cartilagine diminuta, fractoque lacerto permultatus, morti ferme traditus est. Quid plura? Cum jam totus circumjacentis patriæ lamentaretur populus, postquam tanti infortunii detrimentum aures Domine perculerat; populo quidem deplorate, ipsa equidem quod divina ultione perpetrari noverat deplorare non præsumpsit. Tandem cum vir prædictus longa membrorum aegritudine opprimeretur, et in eorum refectione pene innumerabilia expendisset munera, morbo quippe detentus annuo, vix evasit a mortis periculo.

11 Postquam vero paulatim cœpit membris provenire sospitas, et pro modo infirmitatis languore excluso, aliquantula subrepsit firmitas; cupidinea succinctus pharetra conjugalem appetivit thalamum. Virgo vero virgineum prætendens clypeum, nec pharetram nec clypeum præsensit libidineum : virilem namque despuens concubitum, soli Deo non indeditum virginitatis inviolabile destinavit propositum. Verum ipse causa neglecti concubitus irritatus, faceque diabolicæ libidinis instimulatus, ad solita recurrens verbera, beatæ membra virginis oppressit tenera. Nec vir immoderatæ atrocitatis, a consueta desistebat insania, sed usu quotidiano flagra perendinabat ferocia. Carnis autem virgineæ debilitas, cum tot tantasque tolerare nequiret angustias, quia scriptum est : Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus; soli Deo vindictam permittere decrevit. Qui tormentorum sui amore fidelibus illatorum existens non immemor, ad deprimentam tyrannicam persecutionem, prædicto viro Guidoni corpoream intulit passionem; qui tædiosa membrorum confectus aegritudine, postquam diu languerat, desiit vivere. Et ne B. Pharaildis virginis perturbaretur constantia, Guidonis impii pertransivit insania, juxta illud Davidicum : Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat : quæsi eum, et non est inventus locus ejus.

Ex mss.

A marito malum suspirante verberatur.

Opem Dei implorat.

Maritus in venatione læditur, et anno integro agrolat.

Sanatus redit ad verbera.

Pharaildis patientia.
Hebr. 10. v. 30.

Guido moritur.

Psal. 36. 33.

CAPUT

Ex mss.

CAPUT IV.

Pharaildis mors ac miracula.

Pharaildis vi-
dua permanet.

Marito tandem defuncto, virgo Dei maritalem proposuit thalamum, nec viduali tegmine operiri renuit, quamque prius sub conjugali vinculo non violaverat continentiam, eandem sub tempore viduitatis observare disposuit: quatenus in regno Dei, alii trigessimum, alii sexagesimum, alii centesimum sint accepturi primum; virgo equidem soli Deo virginitatem destinans perpetuam, centesimo promeretur coronari bravio. Unde assidue quod Paulus in epistola sua commemorat complere nitebatur. Dicit enim Apostolus: Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.

1. Cor. 9. v. 24.

Opera misericordiae exercet.

Avem a servis comestam resuscitat.

* Molan. suspicatur potius gansas legendum.

Vigilando itaque, exorando, jejunando, infirmos visitando, aegrotos refovendo, eleemosynam largiendo, et pro humana facultate sex opera misericordiae complendo, totum aetatis suae praeterivit spatium.

13 Ut vero divinae potentiae magnitudo clarificaretur, quoddam egregium et memorabile miraculum ob ejus merita divina pietas operari dignata est. Hyemali siquidem tempore, cum pigro et anili passu agrum, quo triticum seminaverat, viseret, aves quasdam aggregatas reperit, quas alii feles, alii miletas, vulgus vero * gantas nuncupat, easque velut pecudes domesticas baculo percutiens domum adduxit. Quas ubi domum adduxerat, easque velut oves aggregatas in ovili clauserat; nullam earum vel laedi, vel interfici permittens, usque in crastinum reservavit incolumes. Verumtamen cum vel vespertino, vel matutino tempore adisset monasterium, unus clientum, ea quidem ignorante, quamdam supradictarum avium interfecit, eamque cum ejusdem familiae quibusdam consociis comedit. Virgo vero Domini Pharaildis cum a monasterio redisset, praedictarum reminiscens avium, nullam earum permisit jugulari, et ab ovili, quo eas recluserat, cunctas illasas praecipit relaxari. Quae cum relaxarentur, et de more anserum, vel gallinarum imperterrito passu graderentur, beata Virgo siquidem vel pari parem requirente, vel numero, sub quo eas cognoverat, deficiente, vel divino monitu praemonente, unam earum abesse cognovit. Quam cum attente perscrutaretur, obnixaeque quo abierat, vel quo profugerat indagare conaretur, ejusdem domus puero sibi referente, interfectam comestamque cognovit affore. Quid plura? Avis ossa, plumasque sibi reportari praecipiens, quae inde reperiri poterant coadunavit, et mirabili stupendaque compositione, avem pene perditam, prorsusque mortuam vivificavit, eamque ad solita pascua relegavit.

Moritur fere nonagenaria.

14 Hoc autem et huic similibus perpetratis miraculis, fere transacto nonaginta annorum curriculo, sub nomine Christi Domini Dei nostri migravit ad hoc saeculo. Si vero quae post, vel ante obitum suum perpetravit miracula, enarrare praesumpserimus, prius profecto, sicut arbitror, deficiemus in ingenio, quam in materia.

EJUSDEM VITA

EX JOAN. MOLANO.

S. Pharaildis parentes, fratres, sorores.

A S. Gertrude erudita.

In matrimonio virginitatem servat.

Gandavi, nata S. Pharaildis Virginis, quae parentes habuit, Theodericum a Lotharingiae Ducem, et S. Amelbergam, sororis Pipini Principis filiam; fratrem materno ex latere S. Emebertum, Cameracensem Episcopum; sorores SS. Raineldam et Gudilam.

2 A B. Gertrude cognata sua de sacro fonte levata, litterisque instructa, pietatem a teneris annis egregie coluit. Cumque impedire non posset quin a parentibus nuptui daretur, per omne tamen conjugii tempus illibatam virginitatem custodivit, eadem nimirum praepotentis sancti Spiritus gratia praedita,

qua et ante eam B. Caecilia, et post B. Henricus Imperator, uxorque ejus in matrimonio claruerunt.

3 Migravit autem virgo ad Christum nonaginta annorum circulo fere transacto, non minus religione quam senectute venerabilis. Cujus corpus ad S. Bavonis Ecclesiam Agilfridus, Episcopus Leodiensis, idemque a Stephano Papa Abbas D. Bavonis Gandensis creatus, Roma veniens, ex Lotharingia attulit anno b dcliv.

Corpus ejus Gandavum transfertur.

4 Sed non multo post, propter incursiones Nordmannorum, coenobium Gandense cum sacris corporibus Bavonis et Pharaildis fugit. Quae corpora tandem, cessante persecutione, ex Lauduno et Nigella relata sunt, ad ecclesiam novi Castelli Comitis, ad ripam Legiae in Fisco Gandensis coenobii sitam. Inde tamen reaedificata per S. Gerardum ecclesia D. Bavonis, ad eam sunt relata, licet priori ecclesiae, potente Arnulpho Comite, portio aliqua gratiose sit concessa, ne collegium S. Pharaildis reliquiis suae patronae careret.

5 Verum ut iis, quae ex Ecclesiastico officio deprompsimus, aliunde quaedam subjungantur; in primis Christianus Massseus lib. 12 Chronicorum scribit e partem corporis Nigellae, quae est Lotharingiae civitas, haberi in ecclesia S. Pharaildis. Quo spectat, quod ex Chronicis Gandensis monasterii scriptis, eos a Nordmannis fugatos, duos Abbates Nigellae, et tertium Lauduni sepelivisse.

Pars corporis ejus Nigellae asservatur.

6 Deinde est in Steinoeckerzela apud Vilvordiam sacellum S. Pharaildis, quod propter miracula frequentatur. Sed et panes nonnulli conservantur, qui Dei et praedictae virginis iudicio in lapides sunt conversi. Qua de re anno supra millesimum trecentesimo quadagesimo secundo, Plebani Ecclesiarum in Humelighem, Erpse, Hockezele, Quaderibbe et Corteberge testimonium tulerunt. Simile miraculum refert Gregorius Turonensis de nauta, cujus omne navis onus, quod mandi potuit, in saxa est conversum, cum pauperi dixisset senihil nisi lapides habere. Ego, inquit, ex his et dactylos vidi et olivas aspexi marmore duriores.

Sacellum S. Pharaildis in Steinoeckerzele. Panes in lapides mutati.

Primum festum est die quarta Januarii; secundarium Translationis Nonis Octobris.

7 Pingitur denique cum ave in manu aut ad pedes, quam Teutonice een trap-gans vocant, cujus officium Gandavense non nemit. Sed in historia plenius manuscripta legitur ipsam aves ex agro tulisse, quas alii feles, et alii miletas, atque alii vulgariter ganges sive gansas nuncupant, quarum unam prorsus mortuam vivificavit.

Imago S. Pharaildis.

a Christianus Massseus 12 lib. Chron. Theoderico Childeberti filio, Rege Burgundiae, ac deinde Anstrasiae natam scribit. Sed cum Theodericus anno Chr. DCXIII, mortuus sit, qui potuit Pharaildis a S. Gertrude erudiri, et a patre ad nuptias cogi?

b Id si hoc anno accidit, ergo ante initium Episcopatum; cum demum anno 764 Fulcario successerit.

c Verba Masssei sunt: Pars tamen apud Nigellam est: qui locus nunc dicitur Ecclesia S. Pharaildis.

MIRACULUM

Quoddam de panibus conversis in lapides, roboratum litteris sigillatis Officialis Cameracensis, Decani Bruxellensis, nec non diversorum Curatorum infra nominatorum.

Viris reverendis Dominis Praeposito, Decano, et Capitulo Ecclesiae S. Pharaildis in Gandavo, Plebani Ecclesiarum de Humelighem, de Erpsa, de Ockerzele, de Quaderubbe, et de Corterberghe, Salutem, et rei subscriptae noscere veritatem.

2 Noveritis, quod lapides, quos vos habetis in ecclesia vestra, qui in capella S. Pharaildis prope Geetbroech apud nos esse consueverunt, virtute omnipotentis

Testimonium de panibus in lapides conversis.

*Meritis S. Phara-
hildis, atten-
tu horum
panum dolor
capitis ac den-
tium alique
morbi sanan-
tur.*

*Recusat qua-
dam vicina
panes commo-
dare, negans
cum imprec-
tione se ha-
bere :*

*In lapides eos
mutatos repe-
rit.*

tentis Dei, Sanctæque Pharaïldis plurima miracula fecerunt : videlicet portantes in circuitu altaris S. Pharaïldis prælibatæ eosdem lapides, de dolore capitis, dentium, nec non de dolore aliarum partium corporis, fidem credulam ad hos habentes, misericordia Dei omnipotentis, et S. Pharaïldis Virginis antedictæ, procul dubia sanati fuerunt.

3 Nec non vos scire volumus, quomodo, et per quem modum dicti lapides ad capellam S. Pharaïldis prope nos primo pervenerunt. Una dierum accidebat quod duæ vicinæ ad invicem loquebantur apud nos, quarum una defectum panis habebat, petens ab alia sua vicina, quatenus ipsi unum panem concedere vellet, donec ipsius panes essent pisti : quæ vicina respondendo dixit, quod non haberet panem seu panes, quos suæ vicinæ concedere posset. Iterato dixit alia vicina : Vos enim hac septimana cum panibus vestris fuistis ad furnum. Quæ iterum dixit : Det Deus, et S. Pharaïldis, quod omnes panes, quos habeo fiant lapides, si plus panis habeo quam dimidium panis. His vero factis illa veniens domum aperuit eistam suam, et credidit invenisse panes suos incista : et invenit tres lapides in cista sua cum dimidio lapide. Illa vero videns hos panes conversos in lapides, geniculando veniam a Deo Sanctæque Pharaïlde de forefactis suis petiit. Itaque quod miraculum illud promulgatum fuit in populo. Et dicti lapides honore et reverentia ad capellam S. Pharaïldis prædictæ apud nos fuerunt portati. In ejus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum anno a Domini Nativitate MCCCXLII, quarta decima die mensis Junii.

DE ECCLESIA ET TRANSLATIONIBUS S. PHARAÏLDIS.

EX GANDAVO ANT. SANDERI.

*Ecclesia
S. Pharaïldis
quando struc-
ta.*

*Reliquiæ ejus
isthic aliquæ.*

*Translatio
reliquiarum
an. 1073.*

Collegiata D. Pharaïldis Ecclesia, quæ nuper consensu Principum ad parochialem D. Nicolai migravit, admittente Flandrorum Comite Arnulfo, juxta novam arcem Comitis ejusdem, a Balduino Ferreo, ut Gramaius arbitratur, conditam, anno MCCCXXI strui cœpit, ac receptaculum profugi a clade Normannica cœnobii Bavoniani fuit. Unde cum ad antiquas sedes circa annum MCCCXL monachi redirent cum sacris Divorum lipsanis; Arnulfus Marchio (verba sunt Chronici Bavonensis) ecclesiam suam in novo castello ædificatam cernens tantis pignoribus viduari, impetravit a B. Gerardo articulum S. Bavonis, et reliquias B. Pharaïldis; ea videlicet lege, ut Ecclesiæ Clerus annum peregrinationem ad D. Bavonis persolveret, quod multis sæculis factitatum fuit.

2 Fuit hæc Ecclesia domesticorum Comitis et incolarum atrii Palatini ab antiquo Curialis, et ad servandas eorumdem præcipue Divorum reliquias : et in ea Clericos cum Præposito, in canonice collegium haud multo post evectos idem Arnulfus Marchio instituit. In translatione porro harum reliquiarum anno a MCLXXIII facta, exposcentibus Ecclesiæ Canonicis Remleno, Azone, Fulcrone, Otgero, Meinardo, per Folcardum Blandinii et Sigerum Gandensem Abbates; testes adscripti Folcardus Castellanus et Lantbertus, ejusque frater Stephanus, cum copiosa utriusque sexus multitudine, et duorum cœnobiiorum congregatione.

3 Anno etiam MCCCXXVI, portiones reliquiarum SS. Bavonis et Pharaïldis in ecclesia novi castelli, nunc Comitum Castellani nominati, in novo portu Gandensi super ripam fluminis Legiæ sita, et in honore Sanctorum prædictorum olim fundata, translatae sunt de veteri scrinio in novum per Venerabilem Patrem D. Andrean Episcopum Tornacensem, postea S. R. E. Cardinalem, præsentem venerabili viro Magistro Joanne de Portali Archidiacono Tornacensi, ac plurimis aliis venerabilibus Presbyteris diversæ dignitatis, ejusdem Tornacensis Ecclesiæ Canonicis, nec non religiosis etiam personis, D. Henrico de Muda Priore, et Balduino Borlyt Præposito Gandensis cœnobii, reverenter eo directis a venerabili viro D. b. Gerelino Borlyt prædicti cœnobii Abbate; qui prædictæ Translationi interesse a D. Martino supra dictæ Ecclesiæ Præposito, et ejusdem Ecclesiæ Canonicis diligenter requisitus fuerat, sed præ nimia infirmitate sua ibidem adesse non valuit.

4 Aliam quoque Translationem earundem reliquiarum an. MCLXXIII factam narrat idem Chronicon, in hæc verba : An. MCLXXIII portiones reliquiarum S. Bavonis Sanctæque Pharaïldis a S. Gerardo Abbate cœnobii Gandensis, Arnulfo magno Flandrensium Comiti gratiose dudum concessæ in ecclesia novi castelli super ripam fluminis Legiæ in Fisco Gandensis cœnobii sita et in præfatorum SS. Bavonis et Pharaïldis honorem olim fundata, translatae sunt per Radbodum Noviomensem Episcopum, præsentibus Sigero Gandensi et Folcardo Blandiniensi Abbatibus. Hanc tamen ego Translationem eandem puto, quam c. MCLXXIII factam ante legimus; iidem enim isthic nominantur Abbates.

5 Quam fuerit autem olim Principibus Flandriæ eorum hoc D. Pharaïldis collegium, vel unicum Philippi Boni anno MCCCCLIX, xv Decembris, Bruxellæ datum diploma ostendit. In eo enim Princeps ille, postquam de egregio prædecessorum suorum in eam Ecclesiam adfectu multa dixisset, eam cum omni suo peculio in specialem tutelam ac protectionem suam suscipit, immunem ab oneribus publicis declarat; omnibus denique sibi subditis mandat, ut eam in suis libertatibus ac privilegiis foveant ac tueantur.

6 Ceterum hujus Ecclesiæ monumenta vetustatis, ultimo incendio, aliæque decora ultimis his bellorum tumultibus perierunt. Constat tamen opulenta admodum et honorifica olim fuisse hujus Ecclesiæ sacerdotia; nunc terrarum inundatione aliisque cladibus imminuta, ob venerabilem ejusdem instituti antiquitatem, Procerum munificentiam, Principumque favorem ac liberalitatem promerentur. Habet D. Pharaïldis Ecclesia Præpositum, cum duodecim Canonicis, plures itidem Capellanos.

7 Deinde recensitis aliquot Præpositorum nominibus, subdit : Solent in hac Ecclesia, dum Festum S. Pharaïldis agitur, duo lapides ostendi panis formam habentes, quos olim panes veros fuisse, et in saxum versos historiis proditum est.

a Imo 1073, ut patet ex cit. Chron. nam 1173, non Sigerus 30, sed Everdeyus 35 Abbas erat, ut ipsemet quoque Sanderus habet l. 4, c. 4. Tum quoque in Blandinio Abbas erat Folcardus, ut idem lib. 4, c. 2.

b Meus ms. catalogus Abbatum Bavoniarum habet Gerelmus, non recte. Nam Gerelini nomen etiamnum familiare est nobili domui Borlytorum.

c Jam monuimus Sigerum non 1173, sed 1073. Abbatem fuisse, cum Noviomii sederet Ratholdus sine Rathodus.

PER
ANT. SANDER.

Alia an. 1336.

Prior transla-
tio iterum
aliis verbis
relata.

Immunitas
illius Ecclē-
siæ.

Monumenta
perdita.